



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 22. Zeno fatis fungitur. Anastasius Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](#)

sua manu delevit, inscripsitque Nomen Sæculum V.
Felicitis Papæ, cui statim pro more Litte. A. C. 491.
ras Synodales misit. Papa receptis lit-
teris non tamen Euphemium ad Com-
munionem suam admisit, quod Nomina
Acacii, & Flavitæ ex Diptychis non dele-
visset. Euphemius Patriarcha S. Danie- *Martyr. Ro.*
li Styliti morienti adsuit. Obiit vero in *11. Dec.*
sua Columna postquam S. Mysteria cele- *Sur. 11. Dec.*
brasset. (*) Ecclesia ejus Memoriam un-
decima Dec. agit.

§. XXII.

*Zeno fato fungitur. Anastasius
Imperator.*

Zeno Imperator anno sequenti 491. O- *Chr. p. 318,*
lybrio Consulatum gerente, sexta A- *Theoph. p.*
prilis, annum agens sexagesimum quin- *116.*
tum vita excessit, postquam regnasset an-
nis septendecim. (**) Successorem ha-
buit

(*) Missis aliis erroribus multis, & non levi-
bus observo, Interpretam Protestantem hic ver-
ba ista: *Postquam sancta Mysteria celebrasset,*
impudenter omisisse. pag. ipsius 32. part. 5.

(**) Scriptores recentiores Græci narrant,
Zenonem crapula, & somno gravem uxoris jussu
sepulchro illatum, aditum prægrandi lapide oc-
clusum, & miserum Imperatorem frustra opem
in clamantem tandem fame, & desperatione cre-
puisse. Ariannam deinde Anastasio nupsisse.

Sæculum V. buit Anastasium cognomento Dicorum
 A. C. 491. Dyrrachii in Epiro natum, quondam Si-
 lentiarium. Is, quamvis ultra annos vi-
 Evagr. III.
 c. 29 Marcel.
 Chr. Vift.
 Chr. Cedr. p.
 lect. II. p. 558
 Suid. in
 Phatr.
 tæ sexaginta numeraret, nihilominus an-
 nis viginti septem Imperio præfuit. Ec-
 clesiam adire ante Solis ortum solitus, in
 357. Theod.
 oratione usque ad Officii Ecclesiastici fi-
 nem perseverabat. Sæpe jejunabat, &
 largiter pauperibus Eleemosinam tribue-
 bat. His omnibus non obstantibus Hæ-
 reticus credebatur, atque tam Ariani,
 quam Manichæi, cum scirent Imperato-
 rem electum, magnam lætitiam prodi-
 dere; nam Matre natus Manichæa, fra-
 trem habebat Arianorum lue infectum,
 nomine Clearchum. Ipsum Anastasium,
 cum aliquamdiu Conventus separatos a-
 geret, Euphemius Patriarcha reprehendit;
 hinc etiam Electioni ejus adversa-
 batur, dicens, Hæreticum esse, & indi-
 gnum, qui Christianis imperaret. At ve-
 ro Imperatrici Ariannæ Leonis Filiæ, &
 Zenonis Viduæ ratum, fixumque erat
 efficere, ut Anastasius eligeretur; itaque
 Fœmina, & Senatu apud Patriarcham
 instantibus, is promisit se Anastasium co-
 ronaturum, ea conditione, ut traderet
 Fidei formulam scriptam, qua profitere-
 tur, se in Concilio Calcedonensi defini-
 ta recipere, & nihil novi in causa Religio-
 nis moliturum. Anastasius, quod pete-
 batur, promissum manu sua scriptum tra-
 didic

dedit Euphemio, qui proinde eundem in Sæculum V.
Cœna Domini undecima Aprilis anno A.C. 491.
491. Imperatorem coronavit. Eodem
anno Euphemius Concilium Episcopo-
rum, qui tunc Constantinopoli versaban-
tur, convocavit, in quo Decreta Conci-
lii Calcedonensis confirmavit. Anasta-
sius Imperator Delatores urbe Constan-
tinopolitana ejecit, & ut precibus Mo-
nachorum ex Palæstina satisfaceret, Tri-
butum omnibus ordinibus maxime invi-
diosum, quod *Chrysargirum* dicebant,
abolevit, Legis illius tabulis publice com-
buri jussis. Quia Pacem se amare pro-
fitebatur, & novas molitiones præsertim
in Causa Religionis odiisse, nullius Eccle-
siæ statum mutavit. Singulis Episcopis
recipiendi, damnandive Concilium Cal-
cedonense plena libertas erat, quod ali-
qui recipiebant, alii anathematizabant,
alii quid hac super re sentirent non a-
periebant. Hæc autem dissimulatio non
modo concordiam non reduxit, sed dis-
sentientium numerum auxit, nam Ori-
entales nec cum Occidentalibus commu-
nicabant, nec inter se consentiebant.

§. XXIII.

S. Sabæ initia.

Primo Anastasi Imperantis anno Salu-
stius Patriarcha Jerosolymitanus *vita Cotet.*
S. Mon. Gr. ta.
Sabam Presbyterum ordinavit, *firmissi-* 3. p. 221.

Hist. Eccles. Tom. VII.

E mum